DE
FISTULIS URETHRAE
VIRILIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS

MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA

GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDUM

SCRIPSIT ET A. D. VII. CAL. AUG. MDCCCXXXVI.

PUBLICE DEFENDET

SALOMON HERTZ,

RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

IOS. IACK, Med. et Chir. Dr.

GUIL. SCHMITZ, Medic. et Chir. Dr.

FRID. BAUSCH, Med. et Chir. Dr.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXVI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

C. W. WUTZER

MED. ET CHIR. DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, DIRECTORI CLINICI CHIRURGICI ET OPHTHALMIATRICI BONNENSIS, SOCIET. LITT. COMPL. SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO MERITISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

S C R I P T O R.

I.

Generalia quaedam et historica.

Fistulam urethalem in viro multo saepius inveniri quam in muliebri sexu, apud omnes constat. Neque mirum; urethra enim virilis et longitudine et compressione praevalet, complicatiori gaudet textura ac duplici munere fungitur, quibus fit, ut et gravioribus et frequentioribus pateat morbis, quam plenius urinae iter in feminis et brevius et simplicius. Fistulae urethralis completae, de qua sola mihi erit sermo, cognitio haud difficilis; difficilior vero evadit, ubi fistulae sinus maior, qui longius ab urethra patefit quique ex ostio angustiore parum modo fert urinae. Ambitus, quo gaudent fistulae, modo tam exiguus, ut vix seta suilla possit induci, modo tam late patet, ut specillum sat crassum descendat; interdum plures explent lineas vel deest pars urethrae ipsius una cum integumentis. Caussae, quae fistulas continent, multifariae sunt. Plerumque strictura urethram comprimendo urinae movet difficultates. Vesicae labores ad urinam emittendam et frustra et saepe repetiti pressum sustinent continentem in urethrae pone stricturam parietes, eosqne ita distringunt. Accedit irritatio cum inflammatione; pure orto urina ad telam cellulosam circumiacentem fertur, et abscessus aut gangraena fistulam evocat. Potest etiam in caussa esse fistula urinaria incompleta et externa et interna, candela aut

specillum male adhibitum, cauterii usus, ulcera syphilitica, mala corporis constitutio ulcerationem urethrae nutriens, rarius calculus aut alienae res extrinsecus mechanice agentes.

Strictura maximam in partem ultra mediam urethram vesicam versus iacente, fistulae quoque ostium interius hac parte continetur, dum exterius ostium modo in perinaeo, mòdo in scroto, in pene, ad clunes, ad abdomen, modo in recto est. Perraro fistula intus pluribus gaudet oribus, exitus vero saepius mùltiplex, unus ab altero aut propior aut remotior. Sive simplex sive multiplex sit, urinam libere reddere non potest fistula fere sinuosa, inaequalis passimque coarctata. Exoritur inde nova urinae effusio novique sinus, qui variis in modis, quae circa sunt, et implent et destruunt. Quod ut prohibeatur, natura novum studet formare iter, cuius parietum spissitudo urinae impetui obstet. Partes circumiacentes indurescunt et torus fit cartilagineus ab urethra ad ora externa usque pertinens. Aliud insigne phaenomenon in eo consistit, ut fistula si longius perduraverit, superficies eius interna, quae continenter urinae iungitur, tunicae mùcosae caracterem assumat, mucumque secernat. Potest contra urina ex pluribus annis modo per fistulam descendente pars urethrae anterior exarescere, coarctari ac plane coire.

De fistulae urethralis praesagio ac curatione statim statuere aliquid non ausus sim. Nam quot legi scriptores hac de materie disserentes, tot inveni et sententias et curationes discrepantes. Accedit, quod in clinico nostro septem in casibus comperti sumus. Propositum igitur mihi est, ante omnia autorum, qui mihi praesto erant, brevi afferre et observationes et iudicia, tum adiungere hisce casus nostros Bonnenses et denique, quantum possum, inde colligere.

Antiquissimae vetustatis medicos fistulae urinariae notionem omnino fugisse nequaquam licet dici. Incassum tamen Hippocratem, Celsum, Avicennam, Aretaeum, incassum recentioris aevi scriptores: Fabricium ab aqua pendente, Hildanum, alios, de fistulis urinariis copiosius disseruisse quaerimus. Primus illas latius commemorat Petrus de Marchettis 1).

„Et quia solent, inquit, (sc. ulcera) perforare urethram cum integumentis, aliquando in perinaeo, quandoque in scroto, ab illis progressu temporis fistulae suboriuntur: quae si in perinaeo, absente gonorrhoea, pars callosa circa urethram et partes adiacentes, inurenda ferramento candente, quo caro illi accrescat et ad cicatricem deducatur fistula; hac tamen lege, ne illa inuratur atque fistula amplior fiat. Observandum tamen, quod si pars interna urethrae non solidescit, oriri carunculam; ac proinde in curatione harum fistularum patienti candelam ceream in eadem semper gestandam." —

Ita pergit 2). „Si vero pars urethrae scroto opposita fistula laboraverit, urina ex ipsa effluens scrotum corrodit pluribus foraminibus; quae curatio ardua admodum et difficilis, licet felici successu eandem saepius hac methodo tentaverim. Expiato prius corpore, omnes fistulas seco, et per candelam propositam omnem operam in sananda urethra adhibeo: quodsi non possit sanari urethra candela, scrotum secandum usque ad illius fistulam, ipsaque inurenda et carne sectae partes opplendae. Contingit vero aliquando, ut amplo foramine urina profluat et scrotum repleat, ad magnitudinem quandoque capitis pueri, unde dolor et inflammatio insignis,

1) Sylloge observationum medico - chirurgicarum rariorum cum tractatibus tribus de ulceribus et fistulis ani. de ulc. et fist. urethrae et de spina ventosa. Patavii 1664. pag. 165.

2) l. l. p. 166.

ex qua tandem gangraena et sphacelus: quorum caussa ferramentis candentibus et incidentibus pars ipsa alienata et emortua amputanda; quod aliquando observavi, scroto sphacelo corrupto et extirpato, nudatos testes foramine amplo in urethram patefacto; quod sanavi per candelam et usu sarcoticorum, ac tandem epuloticis."

I. Hunter 1), licet urethrae strictura sit remota, fistulae curationem saepius non respondere, imo vero novas exoriri affirmat fistulas, exitu prius clauso quam urethrae parte interna. Prima quam statuit, indicatio haec: Videre, ut iter normale quam latissime pateat idque unicum plerumque sufficere; sin minus, ad scalpellum esse veniendum. Cathetere in vesicam demisso et specillo directore omnes secuit fistulas urethraeque, quae iam aderant, delevit angustias. Catheterem in vesica reliquit, ne urina per vulnus descenderet, inducendae cicatrici inimica. Affert 2) autem casum, cuius sanationem catheter impediebat, quo vero educto fistula statim clausa.

Home 3) in urethrae antea adurentibus, tum candelis tractatae corpore spongioso pus abscedens vidit. Quo aperto urina ex ulcere effluxit. Aegrotus igitur quotiescunque mingendi sibi erat desiderium, cathetere elastico est usus et paucis diebus sanatus.

Similem refert 4) casum, ubi inter candelarum usum multum coierat puris in perinaeo. In fistula orta levamentum. Inflammationem alteram altera secuta est fistula. Adurentia

---

1) Abhandlung über die Venerische Krankheit. Aus dem Englischen. Leipzig 1787. p. 266.

2) l. l. p. 273.

3) Praktische Bemerkungen über die Heilart der Harnröhrenverengerungen durch Aetzmittel. Uebersetzt von S. Hahnemann. Leipzig 1800. p. 99.

4) l. l. p. 106.

stricturas sustulere et, urethra patefacta, urina per perinaeum profluens conquievit.

Tertius Homii casus 1) qui narretur dignus hic: Caementarius cruribus distensis e fumario decidit. Perinaei ac scroti laesio plures movit fistulas. Duodeviginti annis post Home urethram explorans stricturam invenit, qua lapide caustico remota, atque cathetere in urethra detento, intra octo septimanas fistulae omnes sanatae praeter unam in averso pene ante scrotum iacentem.

Astley Cooper 2) recte monet, foramina sectionem urethrae secuta quam facile claudantur, sectione laterali affatim confirmari; sin vero prava vel corporis vel urethrae solius constitutione foramina sint orta, quibus insignis substantiae iactura et urethrae et corporis spongiosi accesserit, curationem esse difficillimam. Strictura si est in caussa, ad urethram dilatandam candelas adhibet aeneas vel catheteres, ut simul urinae per fistulam profluxus prohibeatur. Adurentia modo in usum vocat urethra partibusque adiacentibus per stricturam ita alienatis, ut nullum instrumentum possit induci, quin vita periclitetur. Sed sunt, ait, fistulae ita sitae et tali modo cum partibus aliis concretae, ut parum spei relictum sit, fore ut rationibus iam dictis sanentur. Affert 3) exemplum hocce:

Fistula recto-urethralis ex abscessu ortum ducens; urethrae prostaticae strictura. Quum continuus neque candelarum neque catheteris usus ad sanitatem perducerent fistulam,

---

1) l. l. p. 121.

2) Ueber unnatürliche Oeffnungen in der Harnröhre. S. Chirurgische Abhandlungen und Versuche von A. Cooper u. B. Travers. Aus d. Englischen. Erste Abtheilung. Weimar 1821. p. 335.

3) V. l. l. p. 338.

catbetere in vesicam atque digito in rectum demisso, imitatus est sectionem lateralem, donec catheter per bulbum sentiretur. Tum scalpello ancipite glandulam prostatam a recto diduxit. Quo facto, urina per perinaeum descendit. Fistula recto-urethralis paullatim, perinaeique vulnus mox impletum.

In urethra, stricturis absentibus, rupta ille quoque a candelis, quae irritationem adaugerent curationemque traherent, abstinendum esse docet. Neque omnino insanabiles esse fistulas cum ingenti substantiae iactura, omni ambitione procul his confirmat exemplis:

Casus I. Vir 1) in ostio urethrae cutaneo ulcere laborans; glans, praeputium penisque integumenta insigniter inflammata; penis scrotum excipiens gangraena affectus, unde ampla fistula. Chirurgus arcessitus aliquamdiu candelas adhibuit sine ullo effectu; deinde vesicatoria imposita, ut orae exulceratae cicatricem provocarent, sed frustra. Neque meliori eventu postea orae sutura circumvoluta iunctae. Tum Cooper, oris scalpello circumcisis, suturam iniecit nodosam catheteremque ad urinam emittendam inseruit. Tertio vero die urina iuxta catheterem descenderat, suturisque quinto die sublatis, nulla aderat reunio. Denique fistulae exitum et quae circa erant ad digiti dodrantem acido illivit nitrico, ratus attractum iri scrotum fistulam magnam partem continens. Neque fefellit eum haec opinio. Summa cutis decidit, carne supercrescente fistula angustior facta, et post acidum adhuc quater binis mensibus interpositis adhibitum cicatrice plane obducta.

Casus II. M. 2) cum ingenti tumore gravis invaserat penis et scroti inflammatio; suppuratio iuxta bulbum urethrae incisa. Ob partes inflammatas duasque urethrae stricturas

---

1) V. l. l. p. 343.

2) V. l. l. p. 346.

nonnisi magna cum difficultate Cooper catheterem induxit. Qui quum tres hebdomades iacuisset, recens pus erupit in inferiore urethrae parte ante scrotum ipsum. Fistula pone scrotum sita sensim sensimque impleta; altera autem ita est dilatata, ut pollicis dimidii adaequaret longitudinem. Argentum nitricum aliaque irritamenta non respondere; oras per primam intentionem iungere frustra conatus hanc instituit operationem: Elastico cathetere in vesicam demisso, fines fistulae callosos abscidit, atque scroti partem solutam quattuor suturis vulneri ita inseruit, ut post aliquot menses aegrotus ad sanitatem esset perductus.

Foot 1) multos fistula urinaria laborantes per amplum tempus incassum curatos, paucos contra plane sanatos se vidisse ingenue fatetur. Urethrae angustiis solis caussam continentibus atque vesica et prostata salvis, fistulas sanabiles censet. Statim se accingit 2) ad angustiarum curationem et candelarum et chordarum ope, quibus post fomentis ac hydrargyro oxydato rubro naturam adiuvat in cicatrice inducenda. Callos si adsunt nimios scalpello aut adurentibus tractat, donec proba caro aequaliter generetur et fistula oppleatur.

C. Bell 3): „Plerisque in casibus, ait, caussa remota finitur effectus. Difficultates enim, quibuscum urina per urethram descendit, efficiunt, ut in itinera abnormia defluat et irritatio ita nutriatur. Strictura ex toto sublata neque alia

---

1) Abhandlung über die Lustseuche und die Urinverhaltungen. Aus dem Engl. v. Reich. 1ster Theil. Leipzig 1793. p. 302.

2) V. l. l. p. 344.

3) Abhandlung über die Krankheiten der Harnröhre, der Harnblase, der Vorsteherdrüse und des Mastdarms. Mit kritischen Noten von John Shaw. S. chirurg. Handbibliothek 2ter Band. Weimar 1821. p. 238.

gravi urethrae destructione relicta, cum duritie inflammatio decedet, replebitur ulcus. Fistula vero si longius perduraverit, urethra et quae circa sunt si callosa ac magnam in partem clausa sit, scalpelli curatio desideratur. Directus catheter vel specillum, quantum fieri licet, in urethram inducatur, specillum alterum in perinaei fistulam. Quo facto, urethram versus perinaeum secetur. Sinus ad stricturam tendens sequendus; si sint plures sinus, prout plurimum fit, altius ad vesicam serpentes, eos sequi non licebit. Posteriorem urethrae partem investigare in sectione est difficillimum. Optimum erit, secta strictura, nudare argenteum catheterem ac, quo tendat urethra, quaerere specillo. Ab initio catheter elasticus ex vulnere, interiectis aliquot diebus ex ostio urethrae cutaneo in vesicam demittatur, quo iacente caro e fundo succrescat et cicatrix obducatur." Mentionem facit 1) casus, ubi urethra callosa partim scalpello tolleretur necesse fuit. Superstes tamen parva perinaei fistula, ad quam sanandam variis usus est methodis, omnibus vero frustra. Et elasticus et argenteus catheter per aliquot septimanas iacentes successu carebant; frustra imposita cataplasmata et emollientia et irritantia; tinctura cantharidum atque vitriolum Zinci iniecta; fistulae orae oleo terebinthinae fervente, quin etiam ferro candente tractatae; setaceum per fistulam ductum; nihilominus fistula eadem quae antea.

De ardua et difficili urethrae ulcere destructae curatione Bell haec: „Quo maior substantiae iactura, eo maiores sanandi difficultates. Parva solum urethrae parte destructa elasticus catheter in vesicam inseratur secenturque vulneris orae, ita tamen ut substantiae parcatur. Suturam circumvolutam iniici et substantiae vetat defectus et erectiones nocturnae. Adhibeantur adurentia, unguentum cantharidum, donec

---

1) V. l. l, p. 241.

oppleta sit fistula carne firma et laudabili. Interdum quoque partem scrotalem ab iis, quae circa sunt, solutam in vulnus inserere expedit ad urethram instaurandam et resarciendam. Lacuna expleta fistulaque quam minima facta, ad perfectam circatricem filum candens admoveatur."

Berlinghieri 1) fistulas sine curutione desinere affirmat, ortum si duxerint ex vulnere vel ex abscessu vel ex praetereunte urethrae impedimento; quod si vero remanens fistulam exceperit, duplicem statuit indicationem: removere id, quod prohibeat, quominus ostium urethrae cutaneum libere reddat urinam, ac fistulam opplere, cui utrique indicationi elastici catheteris usus responderet, quem ubique fere in vesicam inseri posse existimat. Fistulas omnes sanabiles censet, nisi forte magnam urethrae partem gangraena aliave caussa deleverit. Abhorret a Choparti sententia, cui fistulae scrotum inter et glandem sitae his curandi methodis interdum obstare videbantur.

Howship 2) urethram ad digiti longitudinem suppuratione destructam intra sex septimanas instauratam vidit.

Ducamp 3) fistulam urinariam gravem morbum appellat, quae vires frangeret, alia adduceret mala et aegre admodum sanaretur, praesertim maiore vel minore urethrae parte

---

1) Abhandlung über die Verengerung der Harnröhre und ihre Folgekrankheiten. Abschnitt IV u. V., in Harless neuem Journal Bd. 1. St. 1.

2) Praktische Bemerkungen über die Krankheiten der Harnwerkzeuge, vorzüglich über die der Blase, Vorsteherdrüse und Harnröhre. Leipzig 1819. p. 200.

3) Ueber Harnverhaltungen, welche durch Verengerung der Harnröhre verursacht werden und von den Mitteln, durch welche man die Obstruktionen dieses Kanals vollkommen zerstören kann. Aus dem Französischen. Leipzig 1823. p. 31.

per gangraenam emortua. Affert casum a Choparto 1) narratum, qui glandulam prostatam, magnam urethrae partem tunicamque testium vaginalem gangraena nudatam vidit. Per tres menses continens specilli curatio; superstes tamen perinaei fistula, cui neque specilli neque candelarum usus respondebat. Aliquot mensibus post novae fistulae, unde febris, deliria, mors.

In fistulis curandis Ducamp 2) quoque urethram cauterio tractat. Quòdsi minus sufficiat ad urinam per iter normale libere reddendam, meiendi pruritu sollicitante catheterem immittit elasticum. Reiicit specillorum usum, quippe quae nimis irritando reddant fistulam cicatrici nonnisi tardius producendae opportunam. Urethram plane obliteratam, incisione ac perforatione missis, candela curat argento nitrico vestita.

Neque minus Lallemand 3) strictura adurentibus sublata non semper urethra specillo dilatetur necesse esse, imo vero fistulas interdum ita foveri affirmat.

Caussas, cur fistulae saepius sanari non possint, Andrews 4) in eo quaerit, ut longius persteterint aut externae antecesserint laesiones, quibus insigni exorta inflammatione partes circumiacentes densiores sint factae; singulis tamen in casibus fistulas praeter exspectationem clausum iri sentit.

Lisfranc 5), substantiae iactura facta, vulneris oras

---

1) Maladies des voies urinaires T. II. p. 259.

2) V. l. l. p. 167.

3) Ueber Verengerung der Harnröhre und deren Behandlung. Aus dem Französischen von Pestel. Leipzig 1825. p. 157.

4) Beobachtungen über die Anwendung des Höllensteins gegen Strikturen in dar Harn- und Speiseröhre. Aus d. Englischen von Ruppius. Leipzig 1832. p. 49.

5) Ueber Verengerungen der Harnröhre. Aus dem Franz der Herren Vésignié und Ricard.

supra specillum iungi docet, quam curationem Gensou, chirurgus Lugdunensis, bis respondere viderit.

Amussat 1) haec: „Eo difficilius implentur fistulae urinariae, quo rectius ad urethram tendunt, quo amplior fundus fistulae, declivior exitus, quo angustior denique canalis; continens enim urinae per fistulam descensus perfectae sanationi inimicus. Quo fit, ut fistulae in perinaeo et pene ipso finitae maiori cum difficultate sanentur, quam quae altius serpentes parum modo reddunt urinae. Una atque sola indicatio: videre, ne urina per fistulam defluat; methodicus igitur specillorum usus. Quodsi ob nimias urethrae angustias insignesque partium adiacientium callositates illa inseri non licebit, iniectiones violentae antea praestandae; specillis vero elasticis utendum usque ad oppletam fistulam. Post obductam cicatricem scalpello atque adurentibus augustiarum curationi incumbendum. Adurentia ad fistulam ipsam curandam non adhibenda, nisi forte vim partium vitalem adaugeri studeatur. Compressio modo expedit, fistula procul ab urethra finita, eiusque fundo angustiore; simul tamen adstringentia in fistulam iniicienda. Circumpositae partes callosae nunquam scalpello tollendae, neque vulneris orae, specillo in urethram demisso, sutura coniungendae; vulnus enim humectat urina impeditque quominus possit agglutinari. Membranam ipsam urethrae internam si acum traieceris, periculum, ne rumpatur et augeatur inde fistula." —

Herzberg 2), urethra plumbeis candelis dilatata, fistulas unguento corrosivo tractat neque absque successu.

---

1) Amussats Vorträge über die Verengerungen der männl. Harnröhre, mit einem Anhange über die Krankheiten der Vorsteherdrüse von A. Petit. Aus dem Französ. von Lorch. Mainz 1833. p. 98.

2) Journal der Chirurgie und Augenheilkunde von Graefe und Walther. 10ter Band. 4tes Heft. p. 549.

Krimer 1) memorabilem enarrat casum, in quo urethra ad duorum pollicum longitudinem regenerabatur. Superstes tamen fistula, quam sutura cruenta claudere frustra est periclitatus.

Brodie 2) haec: „Ne nominis similitudine inductus fistulas urinarias simili ratione, qua ani fistulas, curandas esse putes; hae extant prope musculos, plerumque in ipsa musculi sphincteris substantia; patefiant igitur necesse est, quum musculorum virtus curationem recuset. Perinaei vero fistulam urina fovet continuo illam alluens, cuius sectio aegroto supervacaneis esset doloribus; urina etiam copiosius per vulnus descenderet fistulaque postea eadem, quae antea. Dilatetur contra strictura, restituatur normalis urethrae diameter ac fistula sponte sanabitur. Quodsi non possit ita sanari, aegrotus tres per septimanas lectum teneat continensque elasticus catheter vesicam. Quae curatio interdum respondet; sin minus, sive quod fundus fistulae nimius sit aut urina iuxta catheterem defluxerit, sive quod catheter ipse pus movendo sanatiouem protrahat; mingendi desiderio sollicitante, urina per catheterem emittatur atque fistula ipsa argento nitrico tractetur, dum fines, ne prius impleantur, cali caustico tangantur."

Dieffenbach in pagellis, quos nuperrime publici iuris fecit 3), quaenam urethrae pars fistula laboret, multum

1) Auserlesene mediz. u. chirurg. Beobachtungen in demselben Journal. p. 629.

2) Vorlesungen über die Krankheiten der Harnwerkzeuge. Aus dem Engl. Weimar 1833. p. 53.

3) Ueber die Heilung widernatürlicher Oeffnungen in dem vordern Theile der männlichen Harnröhre, nach neuen Methoden Siehe: Zeitschrift für die gesammte Medizin mit besonderer Rücksicht auf Hospitalpraxis und ausländische Litteratur. Her-

differre existimat. Magnam enim fistularum copiam, quae posteriorem urethrae partem a scroto usque ad vesicam tenebant, absque ullo negotio ad cicatricem perduxit, cathetere solum elastico in vesicam demisso ac cataplasmatis fomentisque in usum vocatis. Fistularum autem anterioris urethrae partis curationem invenit arduam et difficilem. Statuit igitur magnitudinem fistularum relativam non pro sanatione loqui; quo vero loco sita sint, maioris esse momenti: prope scrotum faustissimum esse locum; difficultates ad medium penem adauctas prope praeputium etiam maiores esse, ac vix fieri posse urethrae sanationem pone glandem ipsam ad frenulum praeputii perforatae. In fistulis angustioris ambitus et adurentia et suturam cruentam saepius frustra adhibuit. Tincturae cantharidum usus solus fere nunquam respondit nec sutura si accederet nodosa vel circumvoluta. Item raro successu non carebant fines fistularum scalpello exulcerati iniectaque sutura cruenta. Quae omnia, vera si aderat in anteriore urethrae parte substantiae iactura, certe nil valere videbantur. Inutilis evasit sutura nodosa; inutilis ingeniosa methodus 1) utriusque fistulae lateris integumenta plicandi eaque forfice praecisa sutura circumvoluta iungendi; inutiles post suturam iniectam, ne tensio inde oreretur, incisiones laterales. Causatus est Dieffenbach solam urinam, quae internam vulneris superficiem attingens sanationem ex toto impediret, etsi primis diebus vera facta esset reunio inter teneras integumentorum penis oras. Urinam igitur avertere meditatus ab initio id assequi sibi visus est, si procul a fistula proprius vesicam urethram incideret, ut per recens vulnus,

---

ausgegeben von Dieffenbach, Fricke u. Oppenheim. Band II. Heft. I. Hamburg 1836.

1) Vide etiam: Chirurgische Erfahrungen besonders über die Wiederherstellung zerstörter Theile des menschlichen Körpers nach neuen Methoden. Berlin 1829. p. 91.

cathetere immisso, descenderet urina. Veritus tamen, ne ex nova apertura fistula fieret, etsi altera oppleretur, quod eo magis necessarium videbatur, quum catheterem per vastius tempus iacere oporteret, consilio relicto aliam iniit viam minus temerariam. Post catheterem insertum fistulae oras volsella recurvata prehensas scalpello abstulit suturaque commisit circumvoluta; tum laterales instituit incisiones sutura ipsa duplo longiores, atque pontes ita formatos ac volsella prehensos extensosque planis resolvit sectionibus, ita ut, pontibus sublatis, catheter in urethra appareret. Quam operationem hucusque semel modo et cum successu institutam omnibus in urethrae fistulis medium penem tenentibus responsuram esse putat. Maior si esset substantiae iactura cum finibus cute fere vacuis, duas ferulas scorteas longitudinem pontium adaequantes hisce imponi suadet, qui ita sibi propius accedentes hunc situm bene tuerentur. Neque minus vir acutissimi ingenii varias et gravissimas transplantationis methodos et excogitavit et excoluit. Qua utatur methodo, finitur loco fistulae ac magnitudine. Fistula ante scrotum iacente, ex scroto ipso partem desumit; media urethra si nimiam substantiae iacturam fecerit, cuncta penis integumenta circa axem vertit; fistulis pone praeputium sitis, externam illius laminam orbiculatim inserit in partem aversam; praeputio autem deficiente, ex summa penis ipsius cute partem depromit annularem. Longum est hasce operandi methodos per omnes hic describere partes, quas suo loco bene expositas invenies 1). At operationes modo laudatae, etsi prospero partim gaudentes eventu, saepius summum adducebant vitae periculum, nec aliud quidquam in caussa esse videbatur nisi paucae urinae guttulae in telam cellulosam effusae. Itaque methodum invenire studuit, qua neque margines fistulae ipsi neque, quae circa

1) Vide: Zeitschrift für die gesammte Medizin etc. p. 25 — 40.

essent, ullo loco scalpello exulcerati urinae descensui exponerentur. Quem ad finem tractationem commendat, quam in fistulis vesicovaginalibus nec non stercoraceis iam nonnullis ex annis usu comprobavit, methodum dico „*Schnürnath*" vocatam et in eo consistentem, ut, fistularum oris tinctura cantharidum inflammatis, apertura lino adstringatur. Cathetere misso, urina descendat per viam normalem. Qua operandi methodo, a se ipso hucusque semel in usum vocata in casu cum ob curationem tum ob proprietatem sui ipsius memoratu dignissimo 1), in posterum non solum in urethrae fistulis prope glandem iacentibus sed in omnibus minoris ambitus, quicunque sit locus, se usurum esse Dieffenbach contendit.

II.

Fistularum urethrae virilis casus VII, in clinico chirurgico Bonnensi observati.

1.

W. vir 24 annorum, cuius vulnerationum ab infantia difficilis erat curatio, plures per annos cruris ulcere laboraverat, cui ortum extrinsecus ducenti causam sustinuisse dicitur nutrix, quae inhonestam degeret vitam. Annum agens vicesimum et alterum primum syphilide infectus nonnisi magna mole sanabatur. Anno post recentem contagionem ulcera sequebantur glandis et praeputii, quae mercurii subli-

1) V. l. l. p. 43.

mati usu sanescentia subito iterum latius altiusque serpebant. Neque cum decocto Zittmanni salus inesset, praeputio vastius tumente, ulcera coronae glandis praesertim infra frenulum sita ita manabant, ut urethra perforaretur. Tam misera conditione utens postquam a. d. V Cal. Mai. 1833 in clinicum chirurgicum est receptus, post haud multam praeparationem inunctiones et ieiunium ad praescripta Louvrier-Rust adhibita sunt. Ulcera malam perdidere speciem et paullatim implebantur; exigua modo salivatio. Sed, tumore depulso, eo latius patebat pone glandem in averso pene fistula urinaria, cuius tamen ambitus ob frenulum crassius bene videri non licuit. Quum vero urina magnam in partem per novam aperturam, parum per ostium urethrae cutaneum redderetur, fistula satis ampla suspicabatur. Initio mensis Septembris ulcus ad perfectam venerat cicatricem externorum remediorum victusque curiosi auxilio. Convalescenti consilium dabatur, ut post vires parvis itineribus restitutas ad fistulam curandam rediret.

Viribus ita refectis a. d. XIV Cal. Novembr. 1833 operatio instituebatur haec:

Aeger in extrema mensa sedens, pedibus duobus in sellis nitebatur; Prof. Dr. Wutzer inter crura sedebat. Modico cathetere atque elastico in vesicam demisso urina reddebatur ita, ut ne guttula quidem ex fistula proflueret. Deinde frenuli, ut locus latius pateret, divisi fines quum coiissent et praeputium plane posset reduci, quantum deesset bene poterat perlustrari. Averso in pene ulcera, quae aderant, praeputium cum penis tegmentis circiter 4 lineas longius quam naturaliter repulerant, quo facilius omnis in oculos caderet fistula. Quae mensa longitudinem aequabat 10 lin. rhen., 2 latitudinem, ita ut caput pone glandem ipsam sub frenuli insertione esset.

Sectioni ipsi capita frenuli praecisi multum sanguinem ferentia moram magnam faciebant; ne nimis produceretur,

adiutor caput anterius digito comprimebat. Quo facto, summa ora circum totam fistulam scalpello tenui ablata est ad lineae latitudinem; tum praeputio ab utraque parte paullum soluto, ut fistula amplius patefieret, ex praeputio retracto interiore pars 11 lineas longa, cuius forma fistulae respondebat, una cum tela cellulosa adiacente ita est excisa, ut basis capiti fistulae posteriori inhaereret. Pars igitur inserenda circa axem ut verteretur, necesse non fuit; suffecit illam ab iis, quae circa essent, solutam in anticum flecti.

Sanguine suppresso, membrana praeputii mucosa partis inserendae cavo urethrae conveniebat supplementumque urethrae eam ipsam quoad texturam adaequaebat. Sanguis fluens ubi primum conquievit, octo suturis nodosis tenuissimorum curvatorumque acuum ope iniectis, fistulae orae parti inserendae coniungebantur ita, ut fistula plane esset clausa. Aegrotus iussus est aquam frigidam peni imponere catheterisque in urethra situm diligenter servare.

$^{20}/_{10}$. Pars inserta sanguine concreto tecta inveniebatur, ut quae esset parum posset videri; tumor haud vastus neque ullus dolor; modo per noctem bis punctiones doloresque. Fomenta frigida, diaeta tenuis, clysma.

$^{21}/_{10}$. Hodie mane lina omnia educebantur eo excepto, quod in extremis erat. Pars bene inserta videbatur, quamvis superficies externa anterior fuscum praeberet colorem. Imponebatur linteum carptum pauxillo spiritus vini aspersum, modiceque emplastro glutinanti apprimebatur. Fomenta seposita, diaeta tenuis.

$^{22}/_{10}$. Noctu ardor vehemens in vulnere, quamvis urina modo per catheterem sede sua non motum descendisset; pars omnis e fusco nigra, margo lateralis iam solutus videbatur.

$^{23}/_{10}$. In vinctura resolvenda tota pars inserta linamento adhaerebat, sutura suprema cum abrupisset; fistula iterum patuit.

$^{24}/_{10}$. Per inflammationem vastus tumor, febris accessio ab horrore incipiens. Venaesectio ℥viii, balneum tepidum, laxans.

$^{25}/_{10}$. Remissio febris.

$^{26}/_{10}$. Punctiones in praeputium oedematosum factae quum multam effudissent aquam, praeputium tumens melius poterat induci.

$^{28}/_{10}$. Punctiones repetitae.

Vulnus opere acceptum lente quidem, sed ex toto claudebatur. Fistula eadem quae antea. Aegrotus a. d. IV. Nonas Dec. e clinico abiit, alteram scalpelli curationem recusans.

2.

L. J. Beaujon, 41 annos natus, Parisiensis. Infans variolis affectus. Vix anno duodecimo expleto, munere scribae fungens et cum gallico exercitu in Germaniam profectus Halberstadii venere perniciosa gonorrhoeam sibi conciliavit, quae post annum tepidae lactis infusionibus suisque ceteris remediis finiebatur. Restitit tamen, ut ante urinam quaque vice aliquid purulenti descenderet, neque urina ipsa tam prompte redderetur quam antea. In itineribus per Germaniam factis 1810 Vindobonam venit, ubi altera gonorrhoea contagione exorta pulveris albidi usui ac copiosae aquae potioni intra spatium trium hebdomadum cessit. Qui vero pituitae cursus pristini sequelas maiorem in partem levasse dicitur. Tum Parisios reversus aliquamdiu secunda utebatur valetudine, donec retentio accederet urinae. Medicus quum catheterem immittere nequiret, curator aegro in tepidario sedenti candelam inseruit, qua remota magna descendit urinae copia. Quindecim diebus post medicus iterum ope catheteris argentei aquam emisit. Aegrotus quum re familiari impediretur, quominus ita in posterum curaretur, hominem accessit, quem

„medicin d'urines" vocabant, quique decoctum petiolorum cerasorum, seminis lini, mellis nec non quattuor aliarum herbarum sumendum praestitit. Haud multo post urina naturaliter profluxit, ita ut se plane sanum sentiret. Post annum iterum retentio urinae; decocto supra laudato non respondente, medicus iam arcessitus cathetere est usus, cuius vero demissio acrem excitabat dolorem. Quotiescunque adhibebatur, urina per aliquot menses promtius descendebat; tum recens retentio denuo catheterem desiderabat, quo aeger ipse uti didicerat. Anno 1815 medicus Brunsvicensis argenteo cathetere ita eum invasit, ut diutius in lecto esset perseverandum. Quo facto, amplius annum valebat. Deinde quum post tertiam infectionem duo exorta essent ulcera in glande, homo ignotus, a plebe tamen celebratus, vitrioli coerulei solutionem in locum affectum instillandam curavit. Medicina statim respondit. Paullo post scabiem est perpessus. Eodem fere tempore recentia urinae tormina, quotiescunque fiebant, cathetere depellebantur. Duos post annos quum Varsoviae moraretur, contagione syphilitica bubo est exortus. Medicus consultus et cathetere usus vespere candelae in urethram insererentur censuit, quae totam per noctem iacerent. Id vero aegrotus commoditatis amans mox est oblitus. 1825 Dr. Breslau Monachiensis urinam illi arte effudit; anno post catheterem frustra demittere studuit. Aegrotus scalpelli curationem veritus herbarium adiit, qui guttas porrexit coloris fusci odorisque terebinthinacei tam prospero cum successu, ut per quinque annos integros omnibus urinae angustiis careret. Anno 1830 ex frigore rediit pristinum malum. Quod, Holscher Hannoverano curante, quum in dies accresceret variaque medicamenta frustra essent ingesta, necessitate coactus in nosocomio huius urbis scalpello se subiecit. Per perinaeum fissum fissasque, ut opinor, urethrae stricturas urina bene descendebat. Quattuor mensibus ibi peractis, dimissus est vulnere adhuc patente. Vitae ratione perversa et con-

cubitu frequenti, quem saepius blennorrhoea sequebatur quindecim dierum, post duos annos novae exstitere urinae difficultates; in perinaei vulnere tumor erat sublatus nucis iuglandis magnitudine. Prof. Textor, Herbipolensis, ad catheterem in vesicam demittendam urethrae stricturas item ac carnem perinaei supercrescentem intra septem menses adurentibus curavit. Quo facto, urina per ostium urethrae cutaneum normaliter profluebat, ex fistula modo destillabat. Talis est dimissus, quum ampliorem recusaret curationem. Quae vero inclinata in melius valetudo modo ad exiguum duravit tempus. Mensibus novem post ita in peius ruerat, ut Parisios revertendi consilium caperet illustri ab Dupuytren auxilium petitum. Sed quum sibi violenta catheteris demissio non probaretur, primo iam die discessit. Tum Velpeau curationis principium fecit ab urethra candelarum ope dilatanda; post mensem vero quum scalpelli usum suspicaretur, etiam abhinc aufugit parum melior factus. Tum iterum Germaniam petiit et a. d. III. Idus Febr. in clin. chir. Bonn. est receptus.

Conditio praesens. Aeger staturae parvae cachecticam prae se fert speciem. Hernia inguinalis externa utriusque lateris. In regione inguinali dextra cicatrix ex bubone supra commemorato; in utroque latere glandulae inguinales tumentes. Medio in perinaeo anum inter et scrotum tumor ovi dimidii magnitudinem explens et superficie inaequali et duritie scirrhosa praeditus, cuius in circuitu plura videntur fistulae ora tam exigua diametro gaudentia, ut ne seta suilla quidem intrare possit. Inter praeputium et glandem ipsam conspici licet certas cicatrices ulcerum antea memoratorum. Pressu aut digitis membro a posteriori parte ad anteriorem admotis guttulae proveniunt puriformes. In altitudine quattuor digitos superante strictura, infra quam neque specillum satis tenue descendit.

$^{11}/_{2}$. Balneum, plenior victus.

$^{12}/_{2}$. Cataplasmata ad perinaeum; febris accessio, quam oscitatio ac membra extensa antecedebant.

$^{13}/_{2}$. Febris decessit. Cataplasmata continuata.

$^{19}/_{2}$. Ex frigore catarrhus bronchiorum. Infus. spec. pector.

$^{20}/_{2}$. Tussis adaucta. Praescriptum est extract. hyosc. in vino stibiato solutum.

$^{27}/_{2}$. Catarrhus ex toto conquievit.

$^{4}/_{3}$. Aegrotus, qui scalpellum recusaret, dimissus.

Curatio, quam Prof. Wutzer secuturus erat, haec: quantum perinaei tumoris e tela duriore ac recens facta esset, scalpello tollere et, urethra patefacta, a perinaeo catheterem dimittere in vesicam; deinde stricturis fissis, quae forte ante tumorem essent, per ostium urethrae cutaneum catheterem inducere et post urethram ita supra normam dilatatam fistulae inserere partem eorum, quae circa essent.

3.

Joannes Schnauss, 33 annorum. Infans variolas morbillosque perpessus inflammatione genu dextri corripiebatur, quae male ac temere tractata cruris incrementum coërcuit atque effecit, ut in posterum nonnisi fulcro posset ingredi. Iam a pueris praesertim aestivo tempore stranguria vexabatur. Annum agens decimum et tertium pluries per diem masturbatione uti incepit, ut fluxum, uti nominabat, e naturalibus removeret. Aliquot annis post frequens exstitit seminis profusio et nocturna et diurna. Simul cum bubone, qui regionem inguinalem dextram tenebat, difficultates exoriebantur urinae; penis vastius intumuit; cum urina pituita continens, interdum sanguis ferebatur, ita ut sex post menses phimosis esset facta. Tum, duobus annis praeterlapsis, in perinaeo accessit tumor durus, cum dolore rubescens, qui post quindecim dies pluribus in locis ruptus male-

riam effudit mucosam sanguini intermixtam urinamque valde olentem. Dolores ut sopiret aegrotus, linum imposuit calefactum. Respondere fomenta; perinaeum vero ex illo tempore in urina reddenda perseveravit. Sex post annos clinicum chirurgicum adiit aegrotus; receptus pridie Idus Novembr. 1833.

Conditio praesens. Habitus satis robustus, cutis color squalidus, frequentes ex variolis cicatrices, sudor perstans ac viscidus, genu dextrum contractum, crus extendi non licet, femoris motiones mancae, ossa huius extremitatis ipsa minus evoluta. Regio inguinalis dextra duabus cicatricibus, sinistra vero aliquot glandulis tumescentibus gaudet. Urethra pituitam fert crassam e griseo-flavam, quae praeputium inter, quod reduci non potest, et glandem contracta ingenti cum ardore prurit. Praeputium ipsum parvis tuberculis cartilagineis praeditum. Scrotum, cui dexter solus testis est, cum rubore remissius dependens. In perinaeo infra scrotum ipsum plures cicatrices ex pristinis aperturis factae orbique cartilagineo circumdatae. Circiter pollicis dodrantem ad laevam urethrae foramen, per quod specillum tenue non sine negotio obliqua regione intus et supra ascendit. Idem foramen in sinum ducit sesquidigiti longitudine et sub summa cute decurrentem. Hac ex apertura continens destillat urina puri, sanguini et concrementis calculosis intermixta ammoniacaleque olens. Catheter inserendus in angustiis urethrae acerrimos facit dolores.

Cura: Urethrae stricturas, quae caussam continerent fistularum, candelis dilatare tentabatur, quod vero ob nimiam urethrae in perinaei regione destructionem non plane respondebat, quamvis etiam balnea atque cataplasmata in usum sint vocata ad perinaei duritiem emolliendam. Iniectiones, quas dicunt *forçés*, ad Amussati praescripta postea sunt adhibita exiguo cum successu. Denique ad urethrotomiae operationem erat veniendum, ut stricturis remotis cathete-

reque inserto vulnus curaretur. Duce specillo excavato, quantum licuit in urethram inserto, angustiae scalpello divisae usque ad partem membranaceam. Tum candela per ostium cutaneum descendens e vulnere educebatur, a quo catheter statim in vesicam demitti non potuit. Postea processit quidem res, sensilitas vero urethrae longiorem vetuit catheteris usum. Ante diem X. Cal. Iun. 1834 quum e clinico dimitteretur, fistula, quae antea multiplicem sese praestiterat, simplex erat facta.

4.

Henricus Kittel, Coloniensis, puer duodecim annorum, prioribus aetatis annis crebris vexabatur somniis, in quibus se in orbem agitatum videbat. Iam semel lecto relicto cubiculum est pervagatus, donec a parentibus iterum in lecto collocaretur. In initio mensis Iunii 1834 quum matre comite ad urbem Malmedy esset profectus, iterum in somniis surrecturus ita in lecti postem incidit, ut magnum inde in perinaeo exoreretur vulnus. Medicus arcessitus decoctum corticis quercus tepidum vulneri linteolis imponendum mandavit. Qua curatione posterior vulneris pars ad cicatricem intendebat, anteriore adhuc patente. Ex vulneratione urina nonnisi magnis doloribus et sanguini mixta per ostium urethrae cutaneum descendebat. Paullo post vulnus ardens factum urinam ferre incepit. A. d. III. Nonas Nov. aegrotus in clinicum chirurgicum est receptus.

Conditio praesens. Corpus bene nutritum, habitus scrofulosus, temperamentum sanguineum. In perinaeo pone scrotum ipsum fistula, quae specillum in urethram nec non vesicam ducit. Urina continens ex illa defluit. Specillum per ostium cutaneum insertum altitudinem trium digitorum cum dimidio non superat. Ceterum secunda valetudo,

$^{8}/_{11}$. Operatio talis instituebatur: specillo duce urethrae angustiae scalpello fissae; tum fistulae fines exulcerati, cathetere in vesicam inserto, duobus coniuncti sunt suturis. Fomenta frigida, diaeta antiphlogistica.

$^{10}/_{11}$. Suturis abrupturis recens sutura; fomenta ex aqua saturnina tepida. Altero die post sutura iam decidit, catheter remotus.

$^{14}/_{11}$. Fines iterum exulceratos una continuit sutura.

$^{16}/_{11}$. Eadem, quae fuit, fistula patens.

Ex $^{21}/_{11}$, quum catheter ob angustias in urethra denuo exorientes non amplius inseri nequiret, assiduus candelarum usus.

$^{3}/_{12}$. Quum fistulae orae nimis paterent, ita ut suturis solis coïturae esse non viderentur, periculum est factum cutis adiacentis partem quattuor inserendi suturis. Fomenta frigida, diaeta antiphlogistica. Altero die post duae suturae cutem iam abrupturae educerentur oportuit, atque nocte insequenti catheter corporis iactatione a loco remotus partem fistulae insertam ex toto solvit. Sequebatur larga e vesica pituitae secretio, ceterum bona valetudo.

$^{7}/_{12}$. Candelae iterum per octo dies adhibitae, ut novae praecaverentur stricturae.

$^{15}/_{12}$. Recens fistulae curatio sutura cruenta. Tensio ne inde exoreretur, ab utraque parte incisiones factae sesquidigiti. Operatio omni tamen carebat successu et iam $^{18}/_{12}$ urina maximam in partem ex fistula patente proveniebat.

Post candelarum usum operatio modo laudata $^{30}/_{12}$ eadem ratione neque prosperiore successu est repetita. Tum frequens catheteris insertio, dum linteolum volutum ope emplastri glutinantis fines fistulae comprimeret.

$^{21}/_{1}$ 1835. Catheteris intermissio, quum urina, aegroto fistulam ab laeva urgente, per ostium urethrae cutaneum probe descenderet. Quod vero ad exiguum modo duravit tempus. Ex Calendis Februariis fistula iterum urinam ferebat, quamvis

aeger illam comprimere studeret. Post candelas quaternis diebus maioris diametri assidue in usum vocatas

$^{17}/_{2}$ recens periculum factum cutem femur inter et scrotum sitam sutura cruenta fistulae inserendo. Antea ex consuetudine catheter in vesicam demissus, qui iam protinus ab initio curae modo descendebat, si ex fistulae ore eductus inde iterum insereretur. Acus per partem inserendam traiectus nullum excitavit dolorem. Postero iam die pars inserta lividam praebens speciem omni caruit sensu, et mox post suturas, quae cutem abrupturae essent, remotas subnigra facta plane decidit. Tum fistulae fines suppurantes linteolis volutis ex obliquo appositis per longius spatium curabantur, catheteris usu non omisso.

$^{1}/_{3}$. Recentes in fistulae ore exortae granulationes, ita ut catheter antea digitum dimidium in fistula patens vix conspici posset. Curatio eadem.

$^{3}/_{3}$. Granulationes media in fistula pontem quasi formabant, quo duo nascerentur fistulae ostia, quae vero mox iterum confluxere.

Inter ferias Paschales nocturnus modo catheteris usus; interdiu, fistulae ostio digitis modice compresso, urina ex ostio urethrae cutaneo normaliter profluxit.

$^{16}/_{5}$. In aegroto adhuc lubenti tertium periclitabatur partem fistulae inserere ratione antea commemorata neque meliore eventu. Inserta cutis modo soluta partim decidit, partim resiliens ad basin verrucam reliquit nucis avellanae magnitudine. Per menses insequentes frequens balneorum usus; fistulae curationem per cantharidum tincturam vetuere dolores statim inde exorti. Aegrotus, cuius vires quum labare inciperent, vehementer domum desiderans $^{28}/_{7}$ e clinico est dimissus, ut post vires recuperatas reverteretur. Iterum $^{4}/_{11}$ est receptus. Urethra, quae ad angustias tenderet, candelarum ope dilatata, $^{22}/_{12}$ quartum fistulae partem inseri studebatur. Pars ex perinaeo sumta satis lata gaudebat basi,

et sex suturis continebatur, ante quas catheter erat demissus. Altero iam die pars inserta sublividi fuit coloris, quem mox sphacelus est secutus. Fistulae fines iidem qui antea.

Ex $^{3}/_{1}$ 36 catheter sepositus. Fistula digitis clausa, urina normaliter descendit.

$^{14}/_{1}$. Tinctura capsici annui fistulae orae curabantur et linteolis convolutis ex obliquo ligabantur.

$^{24}/_{2}$. Fistulae fines hamo acuto excepti et partim scalpro, partim forfice exulcerati; incisiones longitudinales laterales, catheter demissus, suturae quattuor iniectae. Fomenta calida, diaeta antiphlogistica. $^{25}/_{2}$. Nullus ardor in vulnere, orae ipsae laxae, lividae, exsudatio nulla. Diebus insequentibus suppuratio copiosa. $^{28}/_{3}$. Aegrotus in alvo reddenda aliquid urinae iuxta catheterem defluere animadvertit. Catheter obstructus siphone evacuabatur; trae capsici annui usus. Die post sutura superior cutem abruperat; filo deducto, catheteris lumen in urethra apparuit. $^{1}/_{3}$. Ob dolores acerrimos in perinaeo ortos catheter remotus. Altero die altera sutura abruptura. $^{3}/_{3}$. Tertio filo remoto, recens iniiciebatur idque, quoties sutura non amplius haereret, repetitum, donec $^{12}/_{3}$ consensualis testiculi sinistri et vesicae irritatio esset exorta. Fila educta, fomenta ex aqua saturnina tepida, balnea laxansque porrectum statim respondere. Fistulae orae mox iterum cuticula obductae, eiusque ambitus fere idem, qui antea.

Aeger per mensem domi commoratus; $^{11}/_{5}$ in clinicum reversus; urethra angustior facta; chordarum ope eam dilatari tentabatur. Tum quum priora pericula fistulam operatione curandi omni successu caruissent, semperque in urina vulnus alluente unica visa esset caussa, Prof. Wutzer $^{10}/_{6}$ novam sequebatur operandi methodum. Specillo arcuato in ostium fistulae posterius inducto et dimidio pollicis spatio interposito, recentem in urethra fecit incisionem; tum fistulae finibus scalpello ablatis suturam iniecit nodosam. Cutis ne tenderetur, incisiones instituit laterales, et postremo

nova apertura pone fistulam sita ut omnem redderet urinam, per illam catheterem demisit, quod vero ob nimias aperturae angustias difficilius evasit. Quo facto, urina bene descendit et ne guttula quidem suturam attingere videbatur. Interiectis autem aliquot diebus, suturae cutem abruperant; suppuratio in fistula patebat, nulla vero reunio. Paullo post doloribus in regione lumbali exortis catheter quoque ex posteriore apertura educeretur necesse erat, quae etiamsi ab initio urinam ferens post spatium 14 dierum plane oppleta videbatur. Fistula vetusta autem, pure finito, coarctata; in mingendo tamen liberum rursus praebebat descensum urinae, quae, fistula digito oppleta, per iter normale iuste excedebat. $^{6}/_{7}$. Aegrotus e clinico abiit.

5.

Petrus Weber e vico Oberwalbach, annos natus undecim et a sanis parentibus ortus, infantia bene peracta, anno aetatis sexto levi affectus est capitis exanthemate, quod paullo post sponte evanuit. Anno insequenti a sodalibus, quibuscum foris ludum agebat, sollicitatus lino adstrinxit penem, qui statim intumescens summos afferebat dolores. Puer domum petiit, filum cultro perscissurus; tam inhabilem vero se gessit, ut peni altum infligeret vulnus, e quo postea urina proveniebat. Tumor paullatim evanuit; ubi vero filum fuerit, mox sphacelo exortae sunt duae aliae aperturae urinam reddentes. Duobus annis post refrigerium perpessus in alium incidit malum. Scrotum intumuit magnitudinem adaequans duorum pugnorum et simul inferior penis pars. Rubor exstitit cum dolore. Epithematis ex aqua calcaria factis, scrotum sinistrum mox ruptum plures per aperturas magnam reddebat materiae purulentae copiam. Postea scrotum urinae stillicidio gaudebat. Per urethrae ostium cutaneum modo descendebat urina partibus naturalibus bene

calidis, frigidis contra per ceteras aperturas. Ita res stetere, donec aegrotus a clinico chirurgico auxilium peteret.

Conditio aegroti XII Cal. Jan. 1835. Speciem prae se fert sanam. Phimosis est tanta, ut vix inveneris urethrae orificium. Catheter digitum ad quinque quartas in urethram demissus impeditur, quominus ultra descendat, qui locus ei respondet, in quo filum supra laudatum insederat. Adsunt duae cicatrices, altera in latere sinisto, altera in adverso pene ex vulneribus factae, quae antea urinam reddebant. Paullum inferius sed ad dextram parvam invenies fistulam, ex qua in mingendo urina magnam in partem provenit, dum ex ostio urethrae cutaneo modo destillat. In scroti parte sinistra sinus, cui etiam duarum fistularnm ora insunt, imprimis nocte ac genitalibus algentibus pauxillum urinae ferentia. Specillus ut inducatur, ob orum exiguitatem fieri non potest; aqua vero Anelis siphone infusa neque per ora ipsa neque per orificium normale redit. In perinaeo denique prope anum duae eminentiae verrucarum instar, quibus in mediis foramina exstant minima, quae nunc nil nisi pus ferentia, antea in deiiciendi cupiditate urinam reddidisse dicuntur.

24/12. Operatio haec est instituta: Fistulae finis ad penis dextram ita est dilatatus, ut Anelis specillum induci posset, quo duce strictura scalpello findebatur. Urina hoc ex ore bene profluit. Diaeta antiphlogistica. Diebus insequentibus frequens balneorum usus neque minus candelarum.

29/12. Catheter per ostium urethrae cutaneum tam alte immissus, ut inferiorem vulneris partem superaret.

30/12. Febris, catheter remotus; in scroti tela cellulosa multum urinae, quam ex fistulis pressu effundi licuit. Vulnus speciem praebet bonam.

31/12. Symptomata cystitidis incipientis hirudines ad perinaeum, calomel ac balnea post aliquot dies depulere.

Tumor prope anum exortus per fistulas ibi iacentes magnam effudit puris copiam.

10/1 1835. Candela per ostium urethrae cutaneum inserta e vulnere educta, ne superior urethrae pars clauderetur.

14/1. Aegrotus ipse candelam e vulnere in vesicam demisit. Iacuit per horam nullum faciens dolorem.

15/1. Ex hodierno die, interpositis singulis diebus horisve, continens catheterum usus. In initio catheter a vulnere in vesicam est demissus, mox vero ab ostio urethrae cutaneo. Urina modo per catheterem solum, modo ad partem iuxta illum descendit. Primi catheteres fuere minoris, sequentium singuli maioris diametri. Spatium, per quod iacebant, pro difficultatibus inde exortis ab horis duodecim usque ad quartum variabat diem. Interdum amplior puris effusio e fistulis in scroto sitis. Quae circa fistulas erant quoties cum rubore atque dolore duriora fiebant, cataplasmata imponebantur.

18/2. Timor ne ad scalpelli curationem esset veniendum vomitum provocavit, cibi fastidium, pulsum 100. Placuit igitur operationem differre vulnusque tinctura cantharidum tractare. At haec curandi methodus modo spatium habuit octo dierum. Quum non responderet, 28/2 in scalpello salus quaerebatur. Post catheterem in vesicam insertum fistulae orae scalpro exulceratae, duobus linis inductis, sutura committebantur nodosa.

1/3. Febris inflammatoriae signa tenuere per aliquot dies. Multnm pituitae una cum urina ex cathetere supra tres dies iacente profluxit. Unam suturam, quae 3/3 abruperat, mox secuta est altera, ita ut fistula ore quidem paullo minore denuo pateret. Diebus insequentibus nullus catheteris usus. Dolores in regione pubis balneis depulsi. Decrescens ciborum desiderium multa ambulatione iterum excitatum. Ter quaterve per diem candela demissa, ne angustiae augerentur. Fistulae in perinaeo et scroto sitae non amplius urinam

tulerunt. Inter ferias Paschales operatio eadem ratione nec prosperiore effectu est repetita. Quo facto, nocturnus catheteris usus, dum aegrotus interdiu obambularet.

Cystitidis symptomata sub finem mensis Maii rursus orta. Quibus antiphlogistica curatione remotis, praeter singula singulis diebus balnea fistulae penem ipsum tenentis orae iterum tinctura cantharidum curabantur, ita ut post mensem ad acus capitis magnitudinem coiissent. Interea tumor in perinaeo cum dolore factus. Cuius ruptionem quum fomenta maturassent ex aqua saturnina tepida, fistulae ibi antea iacentes iterum paullum in mingendo reddebant urinae; sed ex eo inde tempore in dies magis coiere, ita ut a. d. VI. Idus Iun. plane clausae viderentur.

$^{29}/_{6}$. Regio inguinalis sinistra tumescens pressuque dolens, testiculus laevus ad annulum abdominalem attractus. Hirudines sex, fomenta frigida, laxans, balneum paucis diebus responderunt.

$^{7}/_{7}$. Aegrotus a socio verberibus tractatus acerrimis correptus est capitis doloribus; pulsus frequens, duriusculus; fomenta frigida ad caput, hirudines sex ad frontem, calomel.

$^{11}/_{7}$. Aegroto ceterum integro, fistula in pene adhuc reliqua tertium scalpello curabatur. Oras exulceratas una tantum sutura comprehendebat, quae tertio die abruptura educebatur. Tum fistulae finis tantulus, ut vix posset videri. In mingendo digitis compressus nullam ferebat urinam. Balneorum usus secunda tempestate continuatus. Ex a. d. XIII. Cal. Septembr. decocti quercus cum aceto plumbi subsidentia fistulae imposita sunt eo cum successu, ut puer ex toto restitutus a. d. III. Cal. Sept. e clinico abiret.

6.

E. vir quinquaginta octo annorum atque a sanis parenrentibus ortus, in pueritia tinea et ulceribus scrofulosis diu-

tius tenebatur. Anno 1808 in febrem nervosam, quae in patria serperet, incidit, e qua post sex menses salvus evasit. Paullo post glarea descendit cum urina; imo vero cum pituita atque sanguine calculi sunt eiecti ad pisi magnitudinem. Iuvit decoctum fol. prun. persic. acidique sulphurici usus. Anno 1816 refrigerium attulit vehementes in regiône hypochondriaca dextra dolores. Victus ratio sola respondit, aeger vero praeceps ingenio in iram remansit. Sequebatur tamen firma valetudo honestissima vita adiuta, turbata modo rheumatismo vago saepius renascente. Sub finem mensis Februarii 1834 oedema pedum exortum, cui eruptio cutanea maculosa coloris lividi accessit petechiis similis. In inunctionibus plus fuit noxae quam fructus. Maculae in extremitatibus inferioribus ascendebant, tumores in manibus quoque tollebantur. Oculi colore luteo caligabant. Medicus acidum sulphuricum praecepit, postea balnea e malto parata. Maculae fluore ventris finitae, interposito tempore, renascebantur. Ex mense Aug. insequenti pituitae ex urethrae cursus, simul capitula cum pruritu in ano. Mense Nov. aegrotus curru vectus perinaeum feriebatur. Scrotum cum teste dextro intumuit; hirudines et fomenta respondere visa. Sub finem Decembris vero medio in perinaeo tumor sublatus cum duritie cataplasmatis emollientibus in pus vertebatur; vires ita decedebant, ut e lecto super alterum collocaretur oporteret. Decocti Zittmanni sine mercurio et cinnabare usus nec non malti et interne et extrinsecus adhibiti tam salubri gaudebant effectu, ut viribus mox refectis munere iterum fungeretur. Vere a. pr. alter tumor in scroto sublatus eadem sub cura pus effudit; ex illo tamen tempore urinae per perinaeum stillicidium, quapropter e clinico auxilium petiit.

C o n d i t i o aegroti sub finem m. August. 1835. Habitus robustus, satis virium. Duae fistulae cum urethra communicantes, altera in scroto superiore anteriore, altera pone ipsum in perinaeo iacens, e quibus urina, si descendit, pa-

rum destillat. Orae fistularum exulceratae. Scrotum testesque ceterum integri. In cruribus maculae lividi coloris modo disparentes, modo renatae, imus nasus rubescens.

Morbus universalis quum in complicatione arthritidis cum scorbuto positus esse videretur, secundum iustas eius indicationes ab initio extr. Guay. interne sumendum et balnea praescripta. Sequebatur mixturae sulphurico-acidae usus. Postea extr. chin. frigide paratum in infuso chinae aeger bene tulit. Ex ineunte Septembri maculae non amplius redibant, eodemque mense catheter elasticus in urethram est demissus, quae, cum nullas moveret molestias, assidue iacebat. Super fistularum ora externa praecipitato Autenriethii, deinde decocto quercus collocatis, in fistulas ipsas solutio aluminis iniicebatur. A. d. IV. Id. Oct. quum cathetere educto urina descenderet, in perinaeo adhuc aliquid stillicidii inveniebatur. Catheter igitur denuo insertus repetitumque Zittm. dec. sine calom. et cinnab. paratum. Altero die quo haurire id inceperat aegrotus, gravitatem in regione hypochondriaca dextra querebatur; accuratiusque examen hepar cum duritie adauctum et deorsum prominens docebat. Postero die propter gastrica symptomata alvumque citam decocti usus differretur atque catheter, qui per 33 dies iacuerat, removeretur necesse erat; urina tum nulla per fistulas provenit. Postea iterum aliquid urinae per fistulam posteriorem destillabat, cuius in caussa fuisse videbatnr iusto crassior catheter insertus. Aegrotus satis valens Cal. Nov. e clinico abiit. Ulcera externas fistularum oras tenentia magnam in partem ad cicatricem pervenerant, per posteriorem modo fistulam in mingendo urinae guttula adhuc profluebat. Itinere ac frigore maculae priores erant renatae, quae in posterum quoque frigore atque assidua animi contentione revocabantur. Neque minus interdum gravitas in reg. hypoch. dextr. pesque sinister tumens. Domum reversus aeger cathetere noctu continenter uti continuabat, neque interdiu urina aliter ac per instrumentum

descendebat. Qua cura fistula quoque posterior sensim sensimque ad cicatricem perducta est, quae plane clausa Cal. Febr. h. a. ab eo renuntiabatur.

7.

M. Schütter, Iuliacensis, viginti tres annos natus, scrinarius, a tenera aetate calculorum passus est difficultates. Puer trium annorum calculos parvos atque arenaceos per urinam eiecisse ferebatur. Duodecim annos natum Prof. a Walther in clinico nostro scalpello curavit. Calculi non statim sunt evulsi, quorum alterum nucis avellanae magnitudinem adaequantem post tres quattuorve dies vulnus ipsum expulit, alterum adiutoris manus. Sex fere annis praeterlapsis, clinicum chirurgicum doloribus in collo vesicae vexatus iterum adiit. Accessit, quod magna sanguinis purisque copia simul per urinam ederetur. Sanatus domum est reversus. Ante quinque abhinc menses recentes in collo vesicae dolores; quorum caussam quid sustinuerit ignotum. Cicatrix undecim annis ante ex operatione exorta et quae circa illam valde intumuere; vulnus ipsum recrudescens continentem urinam destillando edidit, nisi urina normaliter descenderet. Iam ante operationem blennorrhoea laborabat urethrae; in urina quasi nubeculae mucosae innatabant. Aegrotus concubitu frequenti usus nunquam syphilide se esse infectum contendit, praeter quod ante plures septimanas, occasione data, testes ad breve tempus intumescerent.

Conditio aegroti a. d. III. Non. Nov. 1835.

Statura robusta, sensilitas magna, faciei color squalidus. Scrotum inter et anum, quo in loco sectio lateralis instituebatur, cicatrix, quae media cum rubore vastius tumescens ad acus capitis magnitudinem patet urinamque, nisi normaliter profluat, quisquis est habitus aegroti, continentem reddit.

Tenue specillum aeneum ex fistulae ore in vesicam urethramve demitti non licet. Ex urethra ipsa perseverat viscidae pituitae cursus, qui, quoties urina per ostium cutaneum redditur, adauctus modo matulae inhaeret, modo quasi fila ac nubeculae in urina innatant. Saepius quoque sanguis concretus urina male olenti immixtus. Dolor in regione colli vesicae levis, in mingendo tamen valde adauctus. Catheter modo tenerrimus ex ostio urethrae cutaneo in vesicam descendit.

Curationis principium fiebat a catheteris usu ad urethrae stricturas removendas. Urina primo iuxta catheterem profluxit. Balnea in usum vocata tepida fistulaeque ipsi fomenta admota ex plumbo tannico parata. Interne aqua calcis porrigebatur primum sola, tum lacti coniuncta; diaeta modice nutriens, pro potu mucilaginosa. Sub hac cura conditio multum in melius mutata. Dolores colli vesicae diminuti; diminuta pituitae copia cum urina descendens; perraro in illa sanguinis vestigia; aegroto cubante urina raro ex fistula destillans. Dolores quum exorerentur vesicae vehementes, catheteris et aquae calcis usus per aliquot dies interruptus. Accessere postea balnea localia. Quae curatio per tres fere menses eadem remansit. Quum vero non amplius procederet, in fistulae iter, ut inflammetur et coalescat, iniectio est instituta ex solut. merc. subl. gr. V in aq. dest. uncia. Duas post horas fistula doluit et urethra usque ad scrotum; dolores in mingendo adaucti. Interpositis aliquot diebus nova iniectio; fistula autem haerente, plumbum tannicum iterum adhibitum, continuata balnea et universalia et localia, aquae calcis usui bals. copaiv. substitutum. Dolores colli vesicae finiti, urina melioris odoris ac multo limpidior. Denique fistula pluries lapide infernali tractata fere nullam amplius reddebat urinam, raro tantum in urina reddenda ille perinaei locus subhumidus videbatur. $^{11}/_{4}$ 36 e clinico decessit.

III.

Corollaria ex observationibus Bonnensibus deducta.

1. Plerumque stricturae et caussam sustinent et complicationem fistularum urethrae.

2. Raro tantum ortum ducunt urethrae fistulae ex mala corporis constitutione, omni strictura absente.

3. Iter normale restitutum urinaque a fistula aversa ad perfectam sanitatem perducendam raro sufficiunt; sensilitas totius corporis et urethrae imprimis obstat remediis, quibus urethram sensim sensimque dilatare molimur.

4. Fistula diutius perstans partibus circumiacentibus nimis destructis vel plane degeneratis, item fistula cum nimia substantiae iactura vix ullam recipiunt curationem.

5. Quo maior substantiae iactura, eo maiores sanandi difficultates.

6. Fistulae in anteriore urethrae parte sitae curatio difficillima; quo remotior fistula a glande penis, eo facilior curatio.

7. Sutura cruenta saepe idcirco non respondet, quod neque catheter iacens omnem urinam a fistula avertere poterit.

8. Sutura cruenta saepius iniiciatur oportet, quod, opere etiam respondente, os fistulae externum saepe paullatim modo et ad partem claudatur.

9. Fistulae etsi quam minimae factae perfecta sanatio saepe ardua admodum et difficilis.

10. Cutis in urethram transplantatio vix respondet, praesertim urethrae corpore cavernoso ad partem deficiente. Causeris fortasse propriam urethrae texturam, quae, quominus teneat pars inserta, impediat.

11. Fistulae tinctura cantharidum tractationem interdum refutat reactio haud raro secuta in adiacentem vesicam.

12. Post opus institutum catheteris usus fructum modo fert, urina libere per illum descendente. Qui vel parum obstructus educatur necesse erit, nisi obstructionem removeri liceat.

13. Sunt, quorum sensilitas tanta sit, ut catheter iacens non solum omni careat fructu, sed etiam noceat suppurationemque foveat vulneris ex opere facti.

VITA.

Natus Creveldi ante viginti quattuor annos, adhuc puer cum parentibus Aquisgranum veni. Ibi iis artibus, quibus aetas puerilis educari solet, imbutus gymnasium adii et per septem annos et dimidium artium studio me dedi. Examine rite absoluto, maturitatis testimonio instructus anno 1831 Bonnam me contuli, ibique rectore beato Diesterweg in civium academicorum numerum receptus, nomen apud cl. Nasse t. t. ordinis medici Decanum spectabilem professus sum.

Lectiones, quas per quattuor annos et dimidium frequentavi, hae sunt:

A. Philosophicae:

Logica et psychologia apud cl. Bobrik; physica experimentalis apud beatum a Münchow; botanica generalis apud cl. Treviranus; chemia experimentalis apud cl. G. Bischof; mineralogia apud cl. Noeggerath; zoologia apud cl. Goldfuss, anthropologia apud cl. Nasse.

B. Medicae:

Anatomia et generalis et specialis apud ill. Mayer et ill. Weber, qui quoque in cadaveribus secandis mihi duces fuere; encyclopaedia et methodologia artis medicae, physiologia et pathologia generalis apud ill. Mueller, pathologia specialis

apud ill. Albers; materia medica, therapia generalis apud ill. Harless; materia medica universa, medicina forensis et epizootiae apud ill. Ernestum Bischoff; morbi mulierum apud ill. Naumann; anatomia pathologica apud cl. H. Nasse; physiologia et pathologia cerebri nec non therapia generalis et specialis apud ill. Nasse; chirurgia, operationum chirurgicarum praecepta, morbi oculi humani arsque fascias applicandi apud ill. Wutzer; ars obstetricia, morbi mulierum, instrumentorum obstetriciorum doctrina apud ill. Kilian.

In practicis exercitationibus mihi duces fuere in clinico propaedeutico per annum dimidium, in clinico therapeutico per tria semestria cl. Nasse; in clinico chirurgico per annum et dimidium cl. Wutzer; in clinico obstetricio et in exercitationibus in phantomate instituendis per annum cl. Kilian; in operationibus in cadavere instituendis sicut in ophthalmiatricis cl. H. Nasse.

Quibus viris omnibus gratias refero quam maximas.

THESES.

I.

Serum secernere non summum membranarum serosarum officium.

II.

Orrhymenitiden non esse.

III.

Hominem primogenitum umbilico caruisse.

IV.

Punctionem vesicae supra arcum ossium pubis fere semper praeferendam punctioni per intestinum rectum.

V.

Vertendi methodum in caput non reiiciendam.

VI.

Pelvem nanam in partu ceteris paribus magis esse timendam quam rhachiticam.